

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

- Disputationes philosophicae Modernistam Inter et Thomistam.** — Electio per se duo obiecta habet realiter inter se distincta et ordinata, prout est amor finis et amor medi.
- Rhetoricae notae.** — Ratio bene struendae periodi.
- Saadil, Persici poetae, fabulae:** Avarus, filio aegrotante. — Ovis et Homo. — Mulomedicus iudicio absolutus.
- Stili lapidarii elementa.** — De constitutionibus publicis. — De inscriptionibus temporariis.
- Horae subsecivae.** De Bonarota lepidum factum.
- Ex Italis urbis.** De maximo artium certamine Augustae Taurinorum.
- Colloquia latina.** — Euntes in scholam.
- Acta Pontificia.** — I. SSmi. D. N. Pii PP. X epistola ad r. p. d. Dio-

- medem Falconum, Archiepiscopum tit. Larissensem, Delegatum Apostolicum in Foederatis Americae Civitatibus de pace tuenda. — II. « Motu Proprio » quo nonnulla in Ordine Fratrum Minorum servanda circa curiam generalem, electiones, et privilegia personalia statuantur.
- Diarium Vaticanum.** Coram SSmo. admissions. — Pontificiae electiones.
- Annales:** Bellum inter Italos et Turcas. — Sinensis seditio. — Germanorum et Gallorum de Africa conventio.
- Publici per orbem coetus legibus ferendis.**
- Per orbem.**
- Mundanum scientiae sodalitium** (Coetus Latinus).
- Aenigmata.**
- Appendix: Euplius.**

DISPUTATIONES PHILOSOPHICAE MODERNISTAM INTER ET THOMISTAM

Electio per se duo obiecta habet realiter inter se distincta et ordinata, prout est amor finis et amor medi.

THOMISTA. — Quo plenius illustrentur quaestiones de quibus alias mentiones fecimus, (1) addenda sunt nonnulla, et quidem gravioris momenti, summeque attendenda, quum exinde iam iam appareat nodus questionis de connexione cognitionis cum actu voluntatis.

Id prae primis notandum, electionem duo habere obiecta, alterum formale, nempe finem; alterum materiale, scilicet media ad finem: quorum primum propter se amatur, secundum vero propter aliud; vel si malueris, omissis nonnullis hic inter Doctores disputatis, electionem esse, « entitative et formaliter » unum actum, « virtualiter » autem duo, seu qui duas importet formalitates: unam ad finem, aliam ad medium propter finem obtinendum.

MODERNISTA. — Sed tamen nonne disputatur an ipsi fines sub electione cadant; nonne certum est finem ultimum, seu amorem boni in communi non cadere sub electione, sed esse solummodo obiectum intentionis?

T. — Inter Doctores reapse disputatur an fines sub electione simul cum mediis cadant: hic pro rei nostrae necessitate id adnotasse sufficiat, fines particulares ita esse fines ut et ipsi media evadant respectu finis superioris, atque inde sub electione cadere. De fine autem ultimo, seu felicitate aut bono in communi, concedendum, imo tenendum est ipsum esse per se solius intentionis obiectum. Ubi autem agatur de fine ultimo in particulari, ut, puta, de visione beatifica, de ipsis Dei possessione, id utique patet rursus nullam institui

disputationem, si res in se ipsa consideretur, siquidem Deum esse amandum non indiget demonstratione aliqua, sed per se notum est et evidens. Sed tamen per accidens, quia nempe homines in via positi sunt infirmi iudicii, neque Deus ipsis in se innotescit, hinc nonnisi media deliberatione et iudicio amatur: imo quandoque ipsa Dei notitia, ipse amor nonnihil apparentis mali, v. gr. pugnam contra concupiscentias inferre potest: unde collatio utriusque boni, veri nempe et apparentis, proindeque et electio haberi poterit. Hisce vero dimissis, tenendum prorsus est finem ultimum in communi seu felicitatis amorem nullimode evadere medium posse, neque ex parte sui, neque ex parte nostri, proindeque nullatenus electioni subiici.

Quin imo tenendum est, electionem proprie et per se nisi mediorum esse, scilicet non illius boni quod est amabile per se, sed illius quod est amabile propter aliud, ita ut ratio istius amandi et eligendi sit amor illius quod propter se amatur. Hic tamen istud notatum volo, formalitatem electionis esse quod sit de obiecto contingenter amabili: ideoque medium quod habet necessarium etiam ex parte nostri connexionem ad finem ultimum in communi non esse eligibile, licet sit amabile propter aliud; et, e contra, finem ultimum in particulari non esse amabilem propter aliud, et tamen esse eligibilem, prout ex parte nostra contingenter amabilem, siquidem non praesefert ex parte nostri connexionem necessarium cum bono quod est nobis naturalis ratio « volendi », iuxta dictum scholasticorum.

M. — Nonne tamen ex parte nostra Deus est amabilis ut medium, quum ametur propter bonum et debitum, ita ut in amore Dei habeantur et res amata, nempe ipse Deus, et ratio amandi, seu bonum absolute?

T. — Deus tamen reapse, ex parte obiecti, non amatur propter aliud, siquidem bonum absolute non est nisi ipsem Deus in se et extra se diffusus: illud igit-

(1) Cfr. num. sup.

tur bonum non est aliud a Deo, sed ipsem Deus confuse cognitus.

Sed vero ex parte nostri Deus a nobis amatur propter aliud formaliter, siquidem ratio Deum amandi nobis est quia hoc est bonum. In qua electione non sunt duo obiecta distinta in se, sed distincta ratione, quia scilicet unum distincte, aliud vero confuse innotescit. Bonum vero absolute in se, imo bonum universalissime sumptum non est nisi ipse Deus in se et sui diffusivus.

Sed iam ad principale nostrum assertum devenendum est, scilicet voluntatem non posse velle medium formaliter, quin simul et eodem actu et finem velit.

Ubi etenim est unum obiectum est unus pariter actus; atqui medium ut medium et finis sunt unum obiectum; medium quippe se habet ut materiale et finis ut formale seu ratio » volendi » medium: ex materia autem et forma unum constituitur obiectum adaequatum: unde voluntas non potest velle unum, quin simul velit et aliud.

M. — Sed tamen non omnes istud concedunt, neque ego, ut verum fatear, concedendum duco, quod nempe voluntas quotiescumque vult medium, velit formaliter et actualiter finem; sufficit namque si voluntas velit finem virtualiter. Saepe saepius enim nonnihil operamur quum non consideremus finem, ut, puta, si iter arripiamus ad montem quum perpetuo de monte petendo haud cogitemus; sufficit vero si virtute anterioris voluntatis et intentionis iter pedetentim prosequamur.

T. — Bene et reete opinaris, carissime. Nonnulla tamen ad quaestionis intelligentiam sunt probe distinguenda.

Distinguendum igitur primo est finem particularem inter et finem in communi: quorum ultimus nihil aliud est quam quod habet rationem boni perfecte et absolute.

Distinguendum rursus est inter cognitionem ultimi finis distinctam et confusam, et inter utrumque amorem inde secutum. Ultimus nempe finis distincte cognoscitur quando apparent sub ratione boni perfecti et comparative ad omnia quae voluntas appetere potest, ut satians perfecte voluntatem, et ratio cetera omnia amandi.

Ex qua cognitione duplex iterum amor proportionatus enascitur, ita ut super omnia finem ultimum amet, et propter ultimum finem omnia alia.

Ubi autem conferantur inter se illae cognitiones illique amores, boni nempe perfecti et bonorum imperfectorum, inde fluunt nonnullae magni momenti consequentiae et diversitates.

Fieri quippe istud potest, quod scilicet quis amet finem ultimum seu beatitudinem perfectam cum proposito omnia propter eamdem acquirendum faciendi, tuncque amatur finis ultimus distincte et formaliter: bona autem alia nonnisi confuse et virtualiter, quum menti ipsius ista non adsint hic et nunc; ubi autem quis haec singulatim prosequetur, tunc non amabit finem ultimum distincte et formaliter, sed tantummodo

confuse et virtualiter, quia non instituet collationem inter bonum ultimum et bona particularia, etsi recipsa haec particularia bona in illo contineantur.

Istud praeterea sedulo est advertendum, nempe quod ubi amatur bonum in se perfectum, non amatur nisi obiectum per se unum, quia est finis ultimus, et bonum illud amatur amore sui, seu est simul et obiectum amatum et ratio amandi; ubi vero amatur bonum particolare non perfectum, tunc amor huiusmodi duo habet reapse obiecta inter se distincta realiter, siquidem bonum illud particolare non est neque potest esse nisi bonum quod propter maius bonum amatur, scilicet propter felicitatem quodammodo integrandam; respicit igitur bonum perfectum ut finem adipiscendum, et bonum particolare ut medium quocumque ad illud; seu, si malueris, bonum perfectum amatur ut quid totum respectu ad partem, et pars, — v. gr. dicitiae, sanitas, — amantur ut pars respectu ad totum.

M. — Nonne tamen dantur multa bona particularia, quae in se veri nominis bona sunt, atque hinc proinde possunt esse amoris obiecta absque ullo ordine ad aliud?

T. — Distinguendum ergo nobis erit, carissime. Si homo finem suum ultimum in hisce bonis particularibus reponat, unum reapse amat obiectum ut ultimum finem; secus autem, si bonum huiusmodi non amet ut finem ultimum, sed ut medium ad perfectionem integrandam, tunc duo sane amat bona, ita ut intentio unius seu boni particularis pendeat ab intentione alterius, seu boni in communi.

Inde rursus clarius patebit qua ratione amor finis maneat virtualiter in omni electione, nullaque prorsus detur electio in qua simul cum medio non amet finis seu bonum simpliciter: notandum est alium dari praeter electionem actum, qui respicit media in ordine ad finem, videlicet usum, etsi auctores nonnulli haec duo male permisceant, eo quod utrumque respicit media in ordine ad finem. Voluntas namque, - ait Angelicus, - (1) respicit bonum, ad idemque proportionem dicit et ut est in eo qui vult, et ut est in rerum natura. In electione quidem completur proportio voluntatis ad bonum ultimum ut est in volente; usus vero, nempe activus, ad voluntatem pertinet et respicit bonum ut est in rerum natura: unde usus electionem sequitur.

Ex qua distinctione perspicua varia et quidem maxime attendenda flunt consectaria.

Hinc enim sequitur in primis, electionem respicere bonum absolute ut est amabile; usum vero respicere illud ut est factibile.

Sequitur rursus, electionem esse actum per quem bonum plene est in amante per inclinationem; usum vero esse actum quo bonum est in rerum natura extra amantem; sequitur, electionem proxime et immediate pendere ab amore finis; usum autem respicere medium

(1) I 2.ae, q. 26, a. 4.

ut electum determinate propter finem, unde pendet ab electione immediate, et a fine mediate.

Sequitur, electionem non esse nisi ex determinata et certa intentione, quia voluntas nequit se determinare ad eligendum determinatum medium, ex intentione vaga et incerta; usum autem non pendere ex intentione finis determinati, sed ex determinata electione medii, qualiscumque sit intentio voluntatis.

Sequitur primam electionem esse necessario ex cognitione explicita et actuali amore finis, licet postmodum sufficiat eiusdem habitualis memoria; usum e contrario praedictum esse posse ex sola electione, etiam confuse cognita, sicut in illo qui usu prosequitur iter electione prius determinatum, neque tamen ad rationes electionis attendit explicite et formaliter.

Unde habes, non esse necessarium ut in toto negotio peragendo quis formaliter et explicite cogitet de fine agendi, sed sufficere virtutem remanentem primae intentionis; primam intentionem, quae primae electionis causa fuit, semper manere in amore aliquo finis, quin sit necessaria formalis et explicita intentio; nullam dari voluntatem medii, quae non sit simul formalis amor finis, licet non explicitus, unde omnis intentio et usus supponit aliquem, saltem confusum, amorem finis; in omni denique electione dari duas formalitates in ordine ad duo obiecta formaliter distincta, ita ut actus, ut est amor finis, sit ratio sui; ut autem est electio, dependeat a fine.

De quo ultimo notandum est unum actum duplice formalitate integrari, ita ut, licet absolute loquendo finis possit amari sine mediis, attamen non possit amari ut ratio «volendi» medium, nisi simul eodem actu voluntas velit ipsum medium, ita ut haec numero voluntas actualis medii identificetur hic et nunc cum voluntate finis, sicut et voluntas haec numero finis identificatur hic et nunc cum voluntate medii: quae distingui ratione possunt, separari re ipsa non possunt.

I. I. B.

RHETORICAE NOTAE

RATIO BENE STRUENDAE PERIODI

Formari periodus bimembris potest, si datae sententiae adificantur, vel causa, vel conditio, vel contrarium, vel comparatio, vel relativum, vel disiunctivum, vel aliquod huiusmodi; tunc enim causa, conditio, contrarium etc. protasin; ipsa sententia apodosin dabit. Detur e. g. sententia: «Mittam tibi oratiunculas»; adde causam: «quia te delectant»; hinc effinges periodus causalem similem sententiae Ciceronis (lib. 2. cap. 1., *ad Atticum*): «Quoniam ea, quae nos scribimus adolescentulorum studiis excitati te etiam delectant, - (en primum membrum et protasin) - oratiunculas, et quas po-

stulas, et plures etiam quam postulas mittimus, - (en secundum membrum, et apodosin). - Conditionem si addas huic sententiae: «Nolim esse cum civibus a me alienis», fiet haec periodus conditionalis: «Si me meis civibus iniuria suspectum tam graviter, atque offensum viderem, carere aspectu civium, quam infestis oculis omnium conspici mallem». (In *Cat. III*, 7). Sit sententia: «Hic locus molestiarum et tumultuum plenisimus fuit», addito contrario, habebis aliam periodum bimembrem: «Qui locus quietis, ac tranquillitatis plenissimus fore videbatur, in eo maxima moles molestiarum, et turbulentissimae tempestates exsisterunt». (Cic. lib. I. *De Orat.*, I).

Comparatio, et similitudo in protasi collocata saepe ad periodum facit. Ex hac sententia: «Servator urbis honorari debet», addita comparatione, «ut honoratur urbis conditor», sic periodum effinges: «Quoniam illum qui hanc urbem condidit (Romulum) ad Deos immortales benevolentia, famaque sustulimus: urbis servator esse apud vos, posterisque vestros in honore debebit». (In *Cat. III*, 1).

Ex similitudine est illa bimembris in oratione post reditum ad Quirites: «Sed tamquam bona valetudo iucundior est eis qui e gravi morbo recreati sunt, quam qui nunquam aegro corpore fuerunt; sic ea omnia desiderata magis, quam assidue percepta delectant». Ea ferme ratione construi possunt bimembres periodi quae sequuntur:

I. — Relativa: «Quae res in civitate duae plurimum possunt, hae contra nos ambae faciunt in hoc tempore summa gratia, et eloquentia». Idem erat dicere: «Nobis gratia et eloquentia nunc obest».

II. — Disiunctiva: «Hoc facto aut deseretis omnino Rempublicam, Quirites, aut proiectum consolare imperium, proditam Senatus auctoritatem relinquatis». Idest: «Hoc facto male Reipubblicae consuleatis».

III. — Copulativa: «Ergo et mihi meae pristinae vitae consuetudinem, Caii Caesar, interclusam aperuisti, et his omnibus ad bene de Republica sperandum quasi signum aliquod sustulisti».

IV. — Concessiva: «Etsi munuscum flagitare, quamvis quis ostenderit nec populus quidem solet, nisi concitatus: tamen ego exspectatione tui moveor, ut admoneam te, non ut flagitem».

Ipsa interdum sententia periodo membra suppeditat; quare iuverit singulas eius voces examinare ac videre possit ne ex earumdem aliqua membrum efficere. E. g. in hac sententia: «Concio imperita assentatorem discernit a gravi cive», pro «discernit» dices: «iudicare solet quid intersit», habebis facile, illam Ciceronis periodum (*De amicitia. XXI*): «Concio, quae ex imperitissimis constat, tamen iudicare solet quid intersit inter popularem, id est assentatorem, et levem civem, et inter constantem, severum, et gravem». Aut pro «assentatore» die: «Eum, qui blanditiis, et vendibili oratione in aures influit multitudinis»; pro «a gravi

cive », dic: « Ab illo, qui sententiam rogatus libere, et constanter, id quod sentit, pronunciat ».

Trimembrem periodum non difficulter ex bimembri construxeris, si nempe vel protasin vel apodosin membro uno auxeris. Experiri id si vis in superioribus exemplis, aut expendendo, et deducendo voces singulas, easque aptis particulis vineiendo, aut sensum aliquem qui ad rem faciat e. g. comparisonem, contrarium, causam, etc. adiungendo e. g. in illo (*Cat. I*) pro urbis « servatore » dic: « Qui urbem servavit », exibit haec trimembris: « Quoniam illum qui hanc urbem condidit (Romulum) ad Deos immortales benevolentia famaque sustulimus, esse apud vos posterosque vestros in honore debebit, qui eamdem urbem conditam, amplificatamque servavit ».

Quadrimebrem ita periodum, quae omnium praestantissima est, eadem fere ratione ex bimembri coniunctis; nempe si, et protasin, et apodosin in bina membra deduxeris, aut si vel protasis, vel apodosis trium membrorum evadat. E. g. in hac sententia: « Si Dii voluerunt a me consule urbem servari, subibo quaevis pericula », quadrimebrem ut efficias, deduc protasin in tria membra: « Si hunc exitum consulatus mei Dii Immortales esse voluerunt, ut quem vos, Patres Conscripti, Populumque Romanum caede misera coniuges, liberosque vestros, Virginesque Vestales a vexatione acerbissima servarem, quem haec tempa, atque delubra hanc pulcherrimam patriam omnium nostrum ab expeditissima flamma, totam Italia ex bello, et vastitate eriperem — (*tertium membrum, et protasin*) — quaecumque mihi uni proponetur fortuna subeatur ». (*Quartum membrum, et apodosin*).

Sed rarius protasin, frequentius apodosin tribus membris constat, ut plurimum utrumque binis membris definiri volunt, id quod Cicero, et Demosthenes servarunt. In metiendo membrorum numero etsi tirones praesertim initio probe exercendi sunt, cavendum tamen ne illos nimis anxiros sollicitosque efficias. Sunt nempe, et incisa, et membra, nunc longiora, nunc breviora, atque idecirco nunc longiores, nunc breviores periodi. Quo fit ut quod uni est incisum, alii sit membrum; quod huic est trimembris, illi sit quadrimebbris, etc. Evidem non morabor si bimembrem esse ac pleniorum, ac longiorem dixeris, illam periodum Demosthenis, quae per leges, et definitiones superius traditas est quadrimebbris. En illam: « Ut quanto plura Philippus praeter suam dignitatem suscepit, (I) tanto plus apud omnes admirationis assequutus est (II), sic vos, cives Athenienses, quo immoderatus, imprudentiusque rebus vestris usi estis (III), hoc maiorem turpitudinis notam nomini vestro inussistis (IV) ».

I. B.

*Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,
Si modo culturae patientem commodet aurem.*

HORAT., Epist. I, 1.

SAADII PERSICI POETAE FABULAE

(Latine vertit F. GUADAGNI) ⁽¹⁾

AVARUS, FILIO AEGROTANTE.

*Fabella ostendet, nummos atque opes suas,
Avarus ut p[re]e amandis cunctis admet.
Quum iuvenem invasisset morbus lethifer,
Homo dives, et idem, quam qui maxime,
Aridus ac parcus, gemitum edebat pater.
Amici monent: Quid non super filio
Arcana ac sacra curans verba immurmurent,
Dilectum caelo genus, sacrificuli?
Cur victimas non caedis, deinde et iubes
Secari caesas atque egenis dividi?
Forsitan per haec caeli ira remiserit.
Ad quae homo avarus: In praesentia recitet
Verba Sacerdos; at, quod sacrificia
Postulant, abest procul pecus meum.*

OVIS ET HOMO.

*Pepulit hostem si quis aliena manu,
Tyrannidem haud evasit, mutavit genus.
Ovem ab ovili rapuit nocte conditus
Obscura lupus. Sentit, et surgit gravi
Arrepta clava homo festinus. Involut
Idem in raptorem, stupido et formidine
Extorquet ovem de malis sanguineis.
Illa laetari, agere impense gratias,
Appellare hominem sospitatem suum,
Exitii depulsoremque et suum deum.
Exacta nondum tota sed nocte, deus
Auxiliator ille Ovem, pulmentarium
Quam sibi destinarat, cultro ancipi
Invadit, ictu letalique vulnerat.
Ovis in ipsa morte vocem languidam
Sustulit: Ungui me extorsisti et faucibus
Lupi, sed factus mihi nunc ipse es lupus.*

MULOMEDICUS IUDICIO ABSOLUTUS.

*Inspicienti qui credit sese, insipientis.
Ex oculis laborans quidam graviter,
Consilii, quisquis fuit is Terrae filius,
Plane nullius, accessit Mulomedicum,
Curando eique oculos commisit suos.
At ille inunxit lumina collyrio,
Praesens expertus quod in quadrupedibus.
Quid queris? Curatio tam belle ac probe
Processit, ea vis fuit et cataplasmatis
Utrumque foris lumen ut egesserit.
Tunc caecus postulavit mulomedicum,
Querelam intentans damni, illevisset sibi
Quod medicamen impingendum belluis.
At iudex longe depulit calumniam.
Non enim, aiebat, medico quadrupedum
Lumina credidisses, queis carius nihil,
De stupido brutorum ni tu esses grege.*

(1) Cfr. huius anni fasc. IX.

Stili lapidarii elementa⁽¹⁾

VI. — DE CONSTITUTIONIBUS PUBLICIS.

Tabularum aerearum tria millia, quae in Capitolio erant instrumentum, ut ait Suetonius, Imperii pulcherrimum ac vetustissimum, bello Vitelliano omnia conflagraverunt: eo continebantur - inquit idem - pone ab exordio Urbis Senatus consulta, Plebiscita de societate, ac foedere, ac privilegia cuicunque concessa. Haec iterum cura Imperatorum constituta, iterum periere, ac nisi quaedam latini scriptores in libros suos retulissent, vix aliquid probabile haberemus. Pauca nos hic exempla relegemus.

Edicta Magistratum.

CN . DOMITIVS . AENOBARDVS
L . LICINIVS . CRASSVS CES
RENVNTIATVM . EST . NOBIS . ESSE . HOMINES
QVI . NOVVM . GENVS . DISCIPLINAE . INSTITVERVNT
AD . QVOS . IVVENTVS . IN . LVDOS . CONVENIAT
EOS . SIBI . NOMEN . IMPOSVISSE . LATINOS . RHETORES
IBI . HOMINES . ADOLESCENTVLOS .
TOTOS . DIES . DESIDERE
MAIORES . NOSTRI . QVAE . LIBEROS . SVOS . DISCERE
ET . QVOS . IN . LVDOS .
STARE . VELLENT . INSTITVERVNT
HAEC . NOVA . QVAE . PRAETER . CONSVETVDINEM
AC . MOREM . MAIORVM . FIVNT . NEQVE . PLACEN
NEQVE . RECTA . VIDENTUR . QVAPROPTER . ET . IIS
QVI . EOS . LVDOS . HABENT . ET . IIS . QVI . EO
VENIRE . CONSVEVERVNT . VIDETVR . FACIENDVM
VT . OSTENDAMVS . NOSTRAM . SENTENTIAM
NOBIS . NON . PLACERE

Non ideo hi Rethores silere iussi sunt, quod Senatus id temporis, aut Censores litterarum studia non probarent, sed ea potius de causa, quod Magistri illi male audirent, nec doctrina excellere putarentur. Legatur de hoc edicto Tullius (*de Oratore* III, XXIV). Edictum porro tam decorum atque elegans ab ipso L. Crasso, oratorum omnium disertissimo, praescriptum esse minime dubitandum est.

Edictis fere omnibus initium, quod hic desideratur, erat a fausto omine, id est bonum factum, sed primum tantis litteris scriptum. Aliud initium saepe fuit, quod veteres, ut ait Tullius, omnibus rebus agendis praefabantur. — *Quod Bonum Faustum Felix Fortunatum Que Sit*: sic Livius de rege post Romulum creando haec ab interrege prolata narrat:

QVOD . BONVM . FAVSTVM . FELIX . QVE
SIT . QVIRITES . REGEM . CREATE . ITA

PATRIBVS . VISVM . EST . PATRES . DEINDE
SI . DIGNVM . QVI . SECUNDVS . AB . ROMVLO
NVMERETVR . CREARITIS . AVCTORES
FIENT

Senatus Consulta habes multa apud Tullium praesertim (*in Philippicis. Lege ex illis. Orat. V*, XIII, 36).

Placeat afferre S. C. quo Mensi Sextili Augusti nomen attributum est:

CVM . IMP . CAESAR . AVGVSTVS
MENSE . SEXTILI . ET . PRIMVM
CONSVLATVM . INIERIT . ET
TRIVMPHOS . TRES . IN . VRBEM
INTVLERIT . ET . EX . IANICVL
LEGIONES . DEDVCTAE
SEQVVTAEQVE . SINT . EIVS . AVSPICIA
AC . FIDEM . SED . ET . AEGYPTVS . HOC
MENSE . IN . POTESTATEM . POPVLI
ROMANI . DEDVCTA . SIT . FINISQVE
HOC . MENSE . BELLIS . CIVILIBVS
IMPOSITVS . SIT . ATQVE . OB . HAS
CAVSAS . HIC . MENSIS . HVIC
IMPERIO . FELICISSIMVS . SIT . AC
FVERIT . PLACERE . SENATVI . VT . HIC
MENSIS . AVGVSTVS . APPELLETVR.

VII. — DE INSCRIPTIONIBUS TEMPORARIIS.

Precationum causa, et ad vota nuncupanda formulas quasdam tabulis inscribendas curasse veteres, easque palam propositas, praeeunte fere Pontifice Maximo, recitasse ex historia compertum est. Pomparum etiam, et Ludorum diebus multos passim titulos prostitisse temporarios Theatris, Porticibus ad tempus exstructis, aliisque huiusmodi inscriptos fatendum est. In triumphis etiam erant Tituli Ferculorum, quos frequentissime scriptores commemorant. Denique ipsa magnorum virorum funera inscriptionibus minime caruerunt. Hae autem inscriptiones quum vel sacrae, vel honorariae, vel historicae sint, cum his generibus fere concordant orationis structura. Nonnulla tamen de his speciatim praeserbit Morecellius. Cave autem ne inscriptionibus temporariis hanc formulam adiicias: «monumentum posuerunt», nam monumenta, ait Morecellius, (l. 2, part. 2, cap. 1), monumenta quidem temporaria nulla fiunt. Ego, - inquit Tullius, - quae monumenti ratio sit, nomine ipso admoneor: ad memoriam magis spectare debet posteritatis, quam ad praesentis temporis gratiam: ideo-subdit idem Morcellius - ne illi quidem modo, et ratione faciunt, qui ad aevi notam annos in his inscribunt; quorsum enim ista spectant, aut spectare possunt cum ducta pompa, aut exequiis persolutis titulos omnes tolli oporteat?

(1) Cfr. sup. num. X.

a) *Inscriptiones sacrae precationum et votorum causa..*

SI . DVELLVM
 QVOD . CVM . ANTIOCHO . REGE . SVMI
 POPVLVS . IVSSIT
 EX . SENTENTIA . SENATVS . POPVLI , QVE . R.
 CONFECTVM . ERIT
 TVM . TIBI . IVPITER . POPVLVS . ROMANVS
 LVDOS . MAGNOS . DIES . DECEM . CONTINVOS
 FACIET
 DONAQVE . AD . OMNIA . PVLVINARIA . DABVNTVR
 DE . PECVNIA . QVANTVM . SENATVS . DECREVERIT
 QVISQVIS . MAGISTRATVS
 EOS . LVDOS . QVANDO . VBIQVE . FAXIT
 HI . LVDI . RECTE . FACTI . DONAQVE . DATA
 RECTE . SVNTO

In haec verba, praeente P. Licinio Pontifice Maximo, votum Iovi nuncupavit M. Aelius Consul, cui iam Graecia provincia sortitione evenerat, bellumque cum Antiocho gerendum erat, eiusque rei causa supplicationem etiam ex S. C. imperaverat. - *Ludi Magni* ex Asconio iidem ac Circenses, hique Romani appellati. - *Dona ad Pulvinaria* idest Lectisternia, et epulæ Diis exstructae. Quum vere Licinius ignoraret, quo anno, vel duce bellum conficiendum, adiecit clausulam: « Ut quisquis Magistratus ».

b) *Inscriptiones pomparum, et ludorum.*

PRO . SALVTE . DOMVS . AVGVSTAE
 EX . CORPORE . PAVSARIORVM . ET
 ARGENTARIORVM . ISIDI . ET
 OSIRI . MANSIONEM
 DEDICAVIMVS

Pausarii hic intelligendi sunt Urbani Sacerdotes sacris Isidis celebrandis. Excitabantur autem propter vias Urbis mansiones, in quibus operantes sacris paucarent et fessis, ubi opus esset, recentes succederent. Mansionem igitur hanc ut alii, alias *Pausarii* aliquot apud tabernas fortasse Argentariorum faciundam curarunt: in quod opus quem quidem ex Corpore Argentariorum aes contulissent, Mansio utriusque corporis sive sodalitatis nomine dedicata est. Mansiones porro dicebantur in viis militaribus diversoria, in quibus iter habentes pernoctabant, aut prandii, aut quietis causa consistebant.

QVOD . BONVM . FAVSTVM . QVE . SIT
 TIBI . DOMVIQVE . TVAE
 CAESAR . AVGVSTE
 SENATUS . TE . CONSENTIENS
 CVM . POPVLO . ROMANO
 CONSALVTAT
 PATRIAEC . PATREM

In his verbis Valerius Messala Augustum Patrem Patriae appellavit. Hic non erit abs re Morellium legere (l. 1. part. 2, cap. 1, § 2).

c) *Inscriptiones triumphales.*

CN . POMPEIVS . CN . F. MAGNVS . IMP.
 ORA . MARITIMA . A . PRAEDONIBVS
 LIBERATA . IMPERIOQVE . MARIS
 POPVLO . ROMANO . RESTITVTO
 EX . ASIA . PONTO . ARMENIA
 PAPHLAGONIA . CAPPADOCIA
 CILICIA . SYRIA
 EX SCYTHIS . IVDAEIS . ALBANIS
 EX . IBERIA . EX . INSULA . CRETA
 EX . BASTERNIS
 ET . DE . REGIBVS . MITHRIDATE
 ET . TIGRANE . TRIVMPHAT

Hic titulus est quem Plinius praefationem triumphi appellat, sive quod primus omnium in pompa praelatus sit, sive potius, quod in Capitolio ante ipsum triumphum praepositus fuerit. - Albani populi ad mare Caspium siti erant; Basternae vero Sarmatiam, aut finitimam huic regionem in Europa coluisse dicuntur.

VENI
 VIDI
 VICI

Hunc titulum Iulius Caesar in Pontico triumpho prae tulit, non acta belli significantem, - ait Suetonius, - sicut ceteri, sed celeriter confecti notam. Porro in ferculo Pharnacis fugientis erat, de cuius fuga populm, qui triumphi pompa spectabat, satis iucunde risisse auctor est Appianus. Illum enim Caesar sine praelio ex Ponto fugaverat, regnoque spoliarat.

d) *Inscriptiones funebres.*

DIVO . GORDIANO
 VICTORI . PERSARUM
 VICTORI . GOTHORVM
 VICTORI . SARMATARVM
 DEPVLSORI . ROMANARVM . SEDITIONVM
 VICTORI . GERMANORVM
 SED . NON . VICTORI . PHILIPPORVM

Extremi verbis nihil manifestius significatur, quam eum a Philippis Augustis fuisse sublatum.

MARCIAE . VITALI
 FILIAE . DVLCISSIMAE
 ET . AMANTISSLIMAE
 QVAE . VIXIT . ANNIS . XV
 MEN . V . DIE . I . Q . MARCIUS
 SVCESSVS . PATER
 FILIAE . INCOMPARABILI

(Ad proximum numerum).

HORAE SUBSECIVAE

DE BONAROTA LEPIDUM FACTUM

Egregius pingendi opifex Bonarota, per ullum
Se conspici mortalium
Nolle ferox, dum murum animal, vivumque colorem
Spirare defunctos docet.
Non si Celtarum rigidas qui flectit habenas,
Trucesque spiritus domat;
Non si Mundorum sceptris armata duorum
Invicta Regis dextera,
Denique non idem nigros qui claudit Avernos,
Et reserat Empyreas fores;
Sive rogent per amicitiam, sive ore minentur,
Cerlamque rapian' ad necem;
Aut moveant, aut impetrant, ad singula vecors
Tormenta pertinax ruat,
Et prius intenta subeat cervice securim,
Cruore sparsurus forum,
Quam velit, arcana quod conficit arte, videri,
Et possit arbitrium pati.
Forte igitur stygiosque lacus sedesque nocentum
Tremente dum scribit manu,
Post auleam latens, oculo furtivus hiante
Spectabat Antistes fabrum,
Observans tacitus. Nec te Bonarota febellit,
Per servulum res indicem
Facta palam. Tamen ipse dolum nescire videri
Tantisper est passus libens,
Dum stylus infaustum ludo mulctaret acerbo
Antistitiis cupidinem.
Haud mora: fur oculis dum singula captat, ab imo
Ecce videt Orco imaginem
Surgere, tartareis horrentem colla catenis,
Et pectus igne fervidum,
Et circum rabidis exesam membra colubris,
Megera quos vibrans rotat.
Una tamen restabat adhuc polienda magistro
Adversa facies, cui manum
Adicit extremam properans. Antistes eandem
Videre gestit integrum.
Ergo oculos hic, ille oculos mentemque manumque
Ad elegans revocant opus.
Iam rubet hinc atque hinc pendens ex aure capillus,
Iam barba tristis purpurat,
Iam frons, iam cilia, et lumen spectatur utrumque,
Undis fluens perennibus;
Iam geminis altam spirat de naribus iram,
Et dentibus frendens tumet.

Iam pulchre plena est, seseque fatetur imago
Et loquitur auctorem sui.
Te loquitur, Praeses, nec te tua lumina fallunt,
Te cernis, et stupidus riges.
Iam minus in vivo possis agnoscere vivi,
Quam mortuus referat color.
De muro spirare illum; de marmore credas
Hunc stare, spirantem minus.
Insultat Naturae ars, effigiemque videtur
Transisse Praesul in suam.
Post simul ad pectus rediit, seque ipse resumpsit,
In regiam ferox venit;
Atque: "O summe Pater, quanta est audacia - dixit -
Opificis adversus Patres!
Inter damnatos tenebris ac morte perenni
Me, squameis serpentibus
Implicitum, repraesentat; me Gorgone saeva,
Me mille monstris carpier,
Heu! notat illudens, obscenoque omine foedat.
Haec mortuos, haec impios
Poena manet, cur me maneat vivumque piunque?
Nos iste si colit parum
Et nostram spenit generoso a sanguine gentem,
At infulis parcat sacris,
Adversusque tuos, princeps Romane, clientes
Abstineat infandis probris.
Tu modo me miserans infamibus eripe flammis,
Et artifex poenam luat.,
Sic memorat; dumque ille Patris responsa moratur,
En insolens adest faber,
Quem clari Proceres adeunt, orantque frequentes
Remittat ut noxam libens,
Et sibi collegam donet, male picta repingens
Orisque confundens notas.
" Quod pinxi, pinxi,, clamat Bonarota, nec aure
Has accipit surda preces.
Ergo iterum Pater ad Papam. Sed Papa renidens
Affatur iratum Patrem:
" Dic iterum, qua te vindex in parte locavit,
Manes sub inferos manus?,,
- " Heu, heu me! - dixit - fundum devolvit ad imum,
Mersitque sub dirum Chaos.
Cerne, Parens, averte potens, ulciscere iudex!,,
Tunc Papa tristis intuens:
" O ultimam coqueret te Purgatorius ignis,
Unde - inquit - egressus datur!
Praesto erat auxilium. Sed enim non obtinet ullum
Ius Pontifex in Tartarum.,
ANT. BONCIARIUS.

(1) Viterbii nuper quum essem et inter libros desertae eiusdem bibliothecae expiscarer, in idyllium hoc incidi, quod transcripsi, pro certo habens iucundam Commentarii nostri sociis eius lectionem futuram. - I. F.

EX ITALIS URBIBUS


De maximo artium certamine Augustae Taurinorum⁽¹⁾

Nos manet magnum Galliae aedificium, quod ad dexteram Eridani extollitur. Tibi, dulcis hospes, advenienti per pontem nobilem eumdemque recentem, axibus simul connexis admodum confectum, dat vocem salutationis Palatum, cui est titulus gallice: *Chateau d'eau*. Hinc inde itur ad aediculas, in quibus inuisuntur quotquot Gallici artifices mittere voluerunt in hanc fastosam contentionem de artibus et commerciis.

Iuvat in primis ad laevam fleetere. Hie videbis quid illa natio invehere consuevit de luxu et de commodis, quae nimius iusto fortassis ad vitae elegantiam hominum animos allектant.

quaesitam meritis. Ob quam illecebram laudationem « Galliae tacitum pertantant gaudia pectus! »

Has Gallorum aediculas excipit Brasilia. Si post adeo breve temporis spatium haec nupera natio tot iam sapientiae documenta protulit, quid in posterum? Omnes profecto cuiuscumque gentis invisores Brasiliam gentem laudibus cumulabunt, quod tam brevi tempore tot triumphos gesserit palmasque innumerias vel in rebus agricolis retulerit! Et ipsa, si tibi lubet, comiter dabit idemque gratuito degustandam exquisitissima arte confectam ex faba potionem, quam non equidem *arabicam* appellabis, sed Brasiliam. Quae in ore dulcedo, quae perennis suavitas! Sin, ut quisque denuo fragrantem sibi potionem domi procuret, omnes certatim emere student ominosam illam fabam; et ultro donantibus



Galliae aedes apud Taurinensem artium conventum.

« Vestibulum ante ipsum, primisque in faucibus » aedium tibi erit fatendum, maximam omnium nationem adesse. Quae enim vestium magnificentia atque praestantia! qui rerum thesauri proferuntur in ditissimis omnium ac pretiosissimis dactyloiothecis! Quae operum varietas atque industria vel in solis sarcinatoribus! Quot serica opera! Hic vides lanam rudem adhuc, mox fuco medicatam in orbes glomerari. Quod vero spectat ad artes machinarum, in quibus quoque Gallica gens principem sibi locum prae omnibus obtinet, visitator poterit in multis distinctisque aliis diversoriis singula quaeque videre atque admirari.

Hic modo quae ad vestium artes pertinent; quibus sane visis atque perspectis, erit dicendum: Cuncta sunt bella, venusta, elegantia! Sume, Gallia, superbiam

magnum emolumentum, mercesque facile distrahuntur, etiam si rem suam quaerere minime adpareant.


Tot rerum multitudine ac varietate oculorum acies pene obruitur ac perturbatur. Sunt multae belluarum pelles balsamo illitae, quae illic saepe territare solent incolas advenasque. Sunt multiplices avium species... Haud desunt quae terra gignere consuevit. Vide quot iam frugum prope innumera specimina! Ne mihi dicas velim: « Fertilior seges est alienis semper in arvis ». Namque et illie sunt Itali, qui illam sibi patriam novam comparaverunt, et ita cum suis mox civibus in patria relictis in contentionem de agris colendis prosilire student.

Paullo ulterius adest Argentinae reipublicae aedicula. Sed etsi plus minusve eadem erunt dicenda, quoniam

(1) Cfr. num. sup.

nuper exorta est inter Italiae rectores quaestio et inter illius reipublicae, optimum factum existimo ultra praeterire ne maiori in dies ira mentes aestuent; et ve-

Nostri, arrepta opportunitate, magnum edere voluerunt musices experimentum, in quo centum et centum cantores cum musicis instrumentis patrios cantus expo-




Brasiliae et Americae Latinae omnis tentoria in artium Taurinensi conventu.

xillum, quod hue atque illuc verti antea videbatur, quoque est sepositum.

Verum, mea quidem sententia, haud erit silentio pae-

merent. Sed in illa populi immanni frequentia, dum omnia circum laetitia obstrepunt atque personant, et rex ad caelum laudibus adfertur, ehu! ex improvviso unum ex illis signis cecidit, quae hinc inde stant, et multi male mulcantur, duoque miserrime interierunt. «Diverso interea miscentur moenia luctu!» Sic laetitia versa est cito in moerorem....

SUBALPINUS.



Argentinae civitatis aedes.

tereundum, abhinc paucos dies, Victorium Emmanuelem regem statuas aeneas dedicavisse, quibus pons exornatur nuper super Eridanum positus in honorem et memoriam Humberti patris, tam crudeliter Modoetiae olim confossi.

COLLOQUIA LATINA

Euntes in scholam⁽¹⁾

ANTONIUS. — Securusne et timore expeditus ad certamen vadis, Marcellae?

MARCELLUS. — Quid tibi ista percunctione? Explica; non enim satis intelligo.

A. — Fabor ergo apertius. Contexuisti epistolam, quam a nobis hodie requiret praceptor?

M. — Contexui, et descriptam porto tecum.

A. — Praecurrit alacritas tua meam tarditatem. Quamquam haud ita pigritia me, ut chartae penuria, qua premebar, remorata est fecitque ut meam non totam descripserim; serius quippe chartam adeptus sum.

M. — Quid acturus, si poposcerit?

(1) EX IACOBI PONTANI opere cuius titulus *Progymnasmata latinitatis* passim retractavit. I. F.

A. — Dum vestras emendat, interea quod reliquum est nullo negotio describam. Hoc concessurum mihi spes est, siquidem aliis alias concessit.

M. — Ostende tuam scriptionem.

A. — Hem!

M. — Quam foede tu pingis litteras? Gallinam scripsisse arbitror. Quam item vacillant versus!

A. — Dummodo legi queat scriptura, parvi duco tristia sint an laeta, pulcra visu an deformia elementa; versus adamussim nequeo dirigere, quantumvis coner. Atqui non tam valde utraque laude mihi ante stas.

M. — Iudicium caeci.

A. — Aliter doceat me praceptor, si ipsi dislices, cum istis illepidis invenustisque characteribus.

M. — Abhorrent istae partes ab eius munere.

A. — At unde discam tandem? Quid tu nunc mihi auctor es?

M. — Aliquem rei peritum pacta pecunia conductant parentes tui, quem hanc ad rem magistrum capias.

A. — Attamen doctrina quoque spectati et clari homines plerumque inscite et indecore efformant figuris istas.

M. — Dici aliter non potest; verum non idcirco sunt docti; et tamen multi illorum decenter.

A. — Parentibus meis vereor ut persuadeam...

M. — Adhibe procuratorem Magistrum, cuius unum verbum hic plus valebit, quam centum tua.

A. — Rogabo ut hoc mihi opus surripiat.

M. — Ceterum, quae heri explicata sunt de Cicerone, si te forte nominaverit, poterisne repetere?

A. — Nisi ipsem optuletur, parum bene; oblitus enim sum rerum quarundam, et quem domi interrogem, praeter parietes, habeo neminem.

M. — Haerenti subveniet. Ego insuper, quoad facere potuero, tibi opem feram.

A. — Salva igitur res erit!

ACTA PONTIFICIA

I.

SSmi. D. N. Pii PP. X epistola ad r. p. d. Diomedem Falconum, Archiepiscopum tit. Larissenum, Delegatum Apostolicum in Foederatis Americae Civitatibus

DE PACE TUENDA.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Libenter abs te accepimus, auspice virorum coetu, quorum summa est ad populum auctoritas, fervore in Foederatis Americae Civi-

tatibus prudentiorum studia ad pacis commoda gentibus tuenda. Videlicet animos coniungere, hostiles continere impetus, prohibere belli pericula et ipsas amovere pacis (uti aiunt) armatae sollicitudines, coeptum est nobilissimum: et quidquid in hanc causam confertur operae, etsi non eo proxime vel plene contingat quo consilia spectant, conatum tamen praestat qui neque auctoribus vacat laude, neque publicae rei utilitatibus.

Idque hoc maxime tempore, quum et magnae copiae, et instrumenta ad interencionem aptissima, et tam longe proiecta rei militaris scientia, bella portendunt, quae vel ipsis sunt principibus potentissimis vehementer pertimescenda.

Quare gratulamur ex animo coeptum cum optimo cuique tum Nobis, praeceteris, probandum. Qui, adepti summum Ecclesiae Fontificatum, vices gerimus Illius, qui *pacis et princeps et Deus est*; et ad illud, saluberrimo consilio, contendentibus Nostrae suffragio auctoritatis adiungimur libentissime. Neque enim dubium est [Nobis quin iidem] praestantes viri, in quibus tanta est ingenii vis prudentiae civilis, velint ad pacem laboranti saeculo conciliandam regiam gentibus sternere viam in iustitiae et caritatis legibus sancte omnibus servandis. Pacem enim, hoc ipso quod ordine continetur, frustra quis sibi confidit stabiliendam, nisi pro viribus contendat ut iis suis ubique sit honor virtutibus quae ordinis sunt principia ac fundamentum omnium maximum.

Ceterum, memoria repetentes exempla tot illustrium Decessorum nostrorum, qui, quando per tempora licuit, hoc etiam ex capite de gentium humanitate, de firmitate imperiorum tam egregie meruerunt, studio incendimur aliquid et Nos hac item in re praestandi. Quandoquidem vero aliud nihil hac in re praestare aetas sinat quam pias ad Deum preces, Deum qui corda noscit hominum et ea quocumque vult inclinat, instantissime adpreciamur ut iis propitius adsit qui pacem populis conciliare student: gentibus vero quae pacem concordi voto expetunt, tribuere benignus velit, ut, amotis belli ac discordii calamitatibus, *in pulcritudine pacis* tandem aliquando conquiescant.

Auspicem divinorum munierum Nostraeque testem benevolentiae Apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis frater, peramanter in Domino imperitum.

Datum Romae apud S. Petrum, die xi Iunii MCMXI, Pontificatus Nostri anno octavo.

PIUS PP. X.

II.

MOTU PROPRIO

quo nonnulla in ordine Fratrum Minorum servanda circa curiam generalem, electiones, et privilegia personalia statuantur.

Quo magis incolumis fiat unio quatuor Familiarum Minoriticarum, quae pari omnino iure parique minoritico titulo, sive Regularis sive Strictioris Observantiae S. Francisci, unum morale Corpus constituebant, et quo facilius augescat opus feliciter absolutum a Leone XIII, piae recordationis, necessarium duximus prorsus eliminare quamdam permanentem semperque graviorem discordiae et mutuae diffidentiae causam, productam e *fusione* multarum Provinciarum Fratrum Minorum, inclinationes, usus et consuetudines diversas habentium, iuxta differentem ex-familiam, ad quam pertinebant, restituendo familiis antiquarum Provinciarum, quae super hoc Nos instantissime efflagitarunt, et quae ob auctum sacerdotum numerum et ob alias causas poterant de novo constitui, ipsarum autonomiam, servata tamem perfecta unione Constitutionum et Regiminis, praescripta a Leone XIII, et hoc fine pree oculis habito, ut praefatae Provinciae differentia haberent territoria et non *com mixta*, exceptione facta pro nonnullis magnis civitibus relate ad aliquas Provincias.

Quibus adhibitis mediis, *revixit* promissio facta et usque ab initio iterata ex parte Superiorum, qui promoverunt unionem; quo vocabulo significare volebant, non fusionem, nec destructionem Provinciarum, sed plenam legislationis et regiminis unitatem, efformando unam dumtaxat magnam Minoriticam Familiam, perfecte unitam. Fusio illa Provinciarum ex parte Superiorum Maiorum, bona fide facta fuit; verum finis per se nobilis, quem pree oculis habuerant, in praxi id effecit, ut multorum animi magis seiungerentur: idcirco temerarie et iniuste reprobarentur, tum vivum desiderium, tum humiles preces quas Apostolicae Sedi porreverunt plures religiosi, non exceptis etiam iis dignioribus ob singularem virtutem, scientiam et auctoritatem ut intra unionem recuperaretur antiqua autonomia quoad respectivas ipsorum Provincias, atque ita de medio tolleretur pomum discordiarum, quae, praecipue in Italia, fiebant gravissimum, imo et imminentis periculum completae ruinae unionis sanctissimae, factae per constitutionem *Felicitate quadam*.

Sublata hoc modo praecipua dissensionum causa, nunc, omnis cura est adhibenda, ut in hac magna Minoritica Familia, quam constanti amore prosequuti fuimus et prosequimur, gubernium generale, provinciale et locale totius Ordinis facilius, efficacius et salutarius reddatur, et insuper, ut in omnibus Generalibus Comitiis, quando, sexto quovis

anno, iuxta Constitutionum praescriptum, simul convenienti quotquot gaudent iure suffragii in Capitulis Generalibus, semper fiant electiones Ministri Generalis et Definitorii Generalis, cum non dissimili temporis duratione. Sed quoniam, ut experientia docet, nimius Consiliariorum numerus recto regimini magis nocet, quam prodest; necesse est, ut restringatur numerus Religiosorum, fruentium iure adsistendi coetibus definitorialibus. Expedit insuper, ut Ordo agnoscat, quinam de iure vices gerere debeat, Ministri Generalis aut Provincialis, Sede plena, aut Sede vacante: ut electiones fiant cum maturo examine, multa cum serietate et religione, remoto prorsus abusu iteratorum scrutiniorum cum excessivo omnino numero, qui saepius deploratus fuit, et qui non leves discordias fovet, et quodammodo destruit aestimationem debitam auctoritati tum eligendorum, tum electorum; ut novae electiones semper debitis normis et intra debitos limites peragantur.

Praeterea, cum tituli honorifici, ius praecedentiae, et exemptionum, seu personalia privilegia, concessa velut in praemium temporale et velut honor terrenus, religiosas familias facile avertant a plena regularis disciplinae observantia, et saepissime etiam a vero progressu individuali in virtutibus, iure meritoque quamplures e dignioribus filiis Seraphici sanctae humilitatis Magistri Francisci Assisiensis, vehementissime cupiunt et instant, ut tales honores et privilegia, quae practice redundant in personale tantum et terrenum commodum, ex Ordine removeantur; cumque talis petitio penitus respondeat desideriis nostris; idcirco praefata privilegia tollimus, abolemus, abrogamus, exceptione facta, ex parte tamen, pro Ex-Provincialibus immediatis et pro Fratribus, qui duas primas Dignitates totius Ordinis exercuerint, scilicet pro Ex-Ministris Generalibus et Ex-Procuratoribus Generalibus, et pro hisce ultimis, etiam quia officio Procuratoris Generalis erit adnexum illud Delegati aut Vicarii Generalis.

Haec autem non excludunt, sed id etiam includunt, ut Patribus, qui vires suas consumpserunt aut consumunt in bonum Ordinis, in difficultioribus aut gravioribus muneribus exercendis, omnes et singuli conentur speciale exhibere reverentiam, grati animi significationem, in spiritu verae dilectionis, charitatis et cuiusdam veluti aequitatis: sed gratissimum erit Deo mutuum et sanctum illud certamen, quo subditi suos iam Superiores aliosque benemerentes adiuvabunt et reverebuntur, et quo isti totis viribus evadere curabunt humiores, et eo magis alieni fieri a quolibet vel desiderio honorum et specialium adiumentorum, quo maiora fuerunt ipsorum merita, tum praeterita, tum praesentia. Deo maxime quidem acceptus et

benedictus a Seraphico Patre erit ardor ille laudabilissimus, quo viri apostolici, peritissimi sacramentum scientiarum professores, atque eximii educatores et moderatores Fratrum Minorum, nullum alium honoris titulum aut privilegium habere satagent, quam abiectos vivere in Domo Dei, novissimum locum quaerere, et nullum suorum operum praemium desiderare in terris, ut securius maiora praemia, imperituros honores, retributionem maximam in aeterna beatitudine consequantur.

Quapropter Motu hoc proprio sequentia omnino perpetuoque servanda edicimus, decernimus, mandamus:

I. Sex tantum erunt Definitores Generales, ex quibus duo pro lingua italica; unus pro lingua germanica; unus pro lingua anglica; unus pro lingua gallica; unus pro lingua hispanica.

II. Lingua tamen hic sumenda erit promiscue etiam pro imperio, regno, regione, cum linguis et regionibus affinibus vel vicinioribus, dummodo tamen eligendus veram peritiam habeat linguae, in praecedenti articulo designatae.

III. Officium Ministri, Procuratoris et Definitorum Generalium per sex tantum annos perdurabit. Post primum tamen sexennium Minister, Procurator et duo tantum ex Definitoribus rationabili de causa reelegi poterunt ad secundum sexennium, dummodo duas ex tribus partibus votorum favorabilium obtineant. Pro ulteriori sexennio requiritur licentia S. Sedis.

IV. In electionibus Ministri Generalis, Procuratoris Generalis et Ministri Provincialis, si post tertium scrutinium non habeatur electio, fiat quartum, in quo vocem passivam habeant duo Patres, qui maiorem suffragiorum numerum in tertio retulerint: et si suffragia fuerint paria, electus declaretur religione senior. — In electionibus Definitorum, tum Generalium, tum Provincialium, aliorumve Superiorum seu Officialium, per scrutinia secreta constituendorum, inaniter peracto primo et secundo scrutinio, fiat tertium tantum, in quo sufficiat maioritas relativa suffragiorum: quod si suffragia fuerint paria, electus proclametur religione senior.

V. Ministri, Custodes et Definitores Provinciales per triennium in officio perdurent. Ministri Provinciales, Custodes et duo ex Definitoribus rationabili de causa reelegi possunt ad secundum triennium; sed pro ulteriori triennio requiritur licentia S. Sedis.

VI. Guardiani per triennium in officio perdurent, seu de Capitulo ad Capitulum: abrogatis omnino congregationibus annuis seu intermediis. Elapsso triennio, Guardiani iusta de causa eligi possunt pro alio conventu; pro secundo triennio in eodem conventu, requiritur licentia Ministri Generalis. Pro tertio autem triennio in eodem conventu,

et pro quarto triennio in alio vel aliis requiritur licentia S. Sedis.

VII. Absente Ministro Generali, Procurator Generalis, et absente Provinciali, Custos Provincialis munere Delegati Generalis vel Provincialis respective fungi debet; qui vacante officio, nomen Vicarii Generalis vel Provincialis item respective assument.

VIII. Tituli praecedentiae et exemptiones de iure vel consuetudine in Ordine vigentes inter eos, qui actu Superiores non sunt, omnino tolluntur. Soli Ex-Ministri et Ex-Procuratores Generales, semper et ubique, et Ex-Provincialis Minister durante immediato triennio, sed in sua Provincia tantum, titulum et praecedentiam habere poterunt cum voce activa et passiva in capitulo generali et propriae Provinciae, si de Ex-Generali et Ex-Procuratore, et in Capitulo Provinciali, si de Ex-Provinciali agatur. Nullus vero, etiamsi sit Ex-Generalis, locum aut vocem habere poterit in congressibus definitorialibus, sive generalibus, sive provincialibus.

IX. Fiant reformationes studiorum, et normae Lectorum constituendorum, suppressis titulis officiorum, quae actu non exercentur.

X. Constitutiones Ordinis reformatur infra sex menses iuxta praescripta in praesenti decreto, idque per specialem Commissionem a S. Sede designandam, additis insuper necessariis aliis et opportunis modificationibus, tum ut plane respondeant hodiernis praescriptionibus Canoniciis, tum ut e medio tollantur abusus, qui novissimis praesertim temporibus hinc inde irrepserunt, tum ut spiritus vere seraphicus in toto Ordine efficacius uberiusque vigeat novaque semper incrementa suscipiat. — Haec tamen Constitutionum reformatio non importat substantiale mutationem earumdem, sed novam tantummodo editionem cum suppressione, vel modificatione eorum, quae, hisce Nostris praescriptionibus contradicunt, et cum emendationibus et additionibus opportunis et necessariis.

Nomina Moderatorum Curiae Generalitiae Ordinis Minorum, per has Nostras praescriptiones reformatae, a Nobis electorum et constitutorum, in separato documento publicari mandamus. Circa Commissionem novae Constitutionum editioni paraudae, cum novis Superioribus voluntatem Nostram communicandam curabimus. Denique ipsis Superioribus Generalibus, ad maius totius Ordinis bonum et incrementum, oportunas Regiminis Normas dabimus.

Contrariis quibuscumque, etiam specialissima mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XIII Octobris, anni MCMXI Pontificatus Nostri anno nono.

PIUS PP. X.

DIARIUM VATICANUM

(Mense Octobri MCMXI).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque munera gratia, Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Patres Armenici Concilii Romae congregati; Schönburg-Hartenstein, Princeps, Austrorum Hungarorumque legatus apud Apostolicam Sedem; Otho de Muehlberg doctor, legatus extraordinarius atque administer cum omni potestate pro Borussicis; Otho de Ritter de Gruenstein dynasta, atque D' Erp dynasta, eodem munere fungentes, alter pro Bavaria, pro Belgica alter; Angelus Estrada doctor, publicas exhibens auctoritates, quibus concredebatur legatus extraordinarius atque administer cum omni potestate Argentinae civitatis apud Apostolicam Sedem.

Pontificiae electiones.

Provisio Ecclesiarum. — Per S. Congregationis Consistorialis decreta SS. D. N. Pius PP. X has quae sequuntur ecclesias de proprio pastore providit, scilicet: Cathedrali ecclesiae Segusiensi praefecit sacerdotem Iosephum Castelli, parochum in oppido vulgo Cuorgnè archidioecesis Taurinensis; cathedrali ecclesiae Pictaviensi sacerdotem Aloisium Humbrecht, Vicarium generalem archidioecesis Bisuntinae; cathedrali ecclesiae Gratianopolitanae sacerdotem Aloisium Iosephum Maurin, Vicarium Generalem dioecesis Massiliensis; titulari ecclesiae episcopali Hierocaesariensi sacerdotem Ioannem Mariam Laval, Vicarium generalem archidioecesis Novae Aureliae, quem constituit auxiliarem rmi. Iacobi Huberti Blenck, archiepiscopi Novae Aureliae; titulari ecclesiae episcopali Eucarpiensi sacerdotem Ioannem Gagliano, archidioecesis Taurinensis, Vicarium generalem archidioecesis Aquilanae; cathedrali ecclesiae Nuscanae sacerdotem Aloisium Paulini, canonicum Poenitentiarium metropolitanae ecclesiae Utinensis.

Brevi autem Apostolico nominati sunt: R. d. Constantinus Jeanningros, episcopus titularis Huarensis et Coadiutor cum futura successione revni. Vicarii Apostolici Cocincinae Orientalis; r. p. Franciscus Xaverius Richardus Vilà y Mateu ab Arenys de Mar, ex Ordine Fratrum Minorum Capulatorum, episcopus titularis Adrahorum et Vicarius Apostolicus Guomensis.

Nominatio Praefecti Apostolici. — Per decretum S. C. de Propaganda Fide r. p. Iosephus Heintz, e Congregatione SSmi. Redemptoris, Praefectus Apostolicus de Matadi in Congo Belgico electus est.

— R. p. Lucas e Maria Virgine, Procurator Generalis Ordinis Carmelitarum excalceatorum, inter « Consultores » S. Rituum Congregationis refertur.

ANNALES**Bellum inter Italos et Turcas.**

Bello ab Italos contra Turcas denunciato, atque Italorum classi post brevem decertationem Tripolitanum in litus egressa, magna fuit Turcarum indignatio, gubernium, cui Hakki Pacha praeerat, prodigionis eosque incusantium, ut publice reum prope haberent atque ad imperium statim deservendum cogerent. Hakkio Said Pacha suffectus,

sagax item atque cautus vir, qui fanaticis Iuvenum Turcarum factionis iussis prudenter obstans, in id praesertim intendit, ut Europae nationibus societatem cum Byzantina offerret, indeque efficax subsidium ad pacem componendam reportaret. Incassum tamen; facile enim intellectu erat, discordias potius inter varios populos, iam inter se foedere coniunctos, ex hac societate futuras, quas omnes optant, nunc saltem, vitare. Non itaque mirum quod Saidius postremis hisce diebus cedere tandem iis visus fuerit, qui bellum ad extrema usque protrahendum praedicant, fisus et ipse fortasse Arborum tribubus, quae procul dubio multo magis quam Turcarum exercitus Italos vexabunt, tum ob infidum Arabum animum, tum ex religionis aestu, studiose a Turcis hac ratione excitato, quod scilicet huiusmodi bellum pro Mahumeto propheta eiusque asseclis sit pugnandum.

Re quidem vera Arabes vidimus primum Italos benigne accipientes in suas terras, quinimo ipsis obsequii et obedientiae signa manifesta sponte proferentes; at brevi Italos a tergo ignave insectari, insidias parare atque omnibus modis eorum progressum iu Tripolitana terra impidentes. Vicit tamen usque adhuc Italorum virtus, qui post Tripolim urbem captam, Tobruk, Homs, Masellata, Derna oppida, ac Bengasi, Cyrenaicae provinciae caput, occuparunt, et ad Sciara-Sciat locum, die xxiii mens. Octobris, Arabes Turcasque simul conspirantes, prophetae signo viridi eorum e manibus extorto, magna cum eorum caede profligarunt. Dum scribimus hostes dicuntur coire, ad Tripolim urbem rabido impetu recuperandam.

Sinensis seditio.

Non vero in Africa tantum sanguis effunditur; in Sinis etiam pugnatur; eoque tristius, quod de civili bello agitur. Seditio in domum iam ab an. MDCXLIV regnantem exardet, virique evertendarum rerum cupidi pro imperio civitatis contendunt. Han-keu in urbe rebellio submota, quo viginti militum millia missi sunt ad vim vi repellendam. De cuius expeditionis exitu nihil certi deduci licet; si enim i unciis a gubernio traditis auscultemus, res in pristinum reddita dicendae sint; si vero factiosorum vocibus attenderimus, iam de regali imperio desperandum est. Certatio haud dubie diutina erit ac maxime cruenta.

Germanorum et Gallorum de Africa conventio.

Contra, pacifice resoluta videtur inter Germanos et Gallos agitata disputatio de utriusque nationis privilegiis in Africa. Si vera sunt exposita, Gallis libera in posterum erit agendi ratio in Mauritania et amplificatio territorii tum prope Camerun, tum in Togo provincia; Germani ex adverso regionem possidebunt Gallicam in Congo coloniam coaequantem.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Anglia** Mac Kenna internis negotiis praepositus.

In **Austria** lex ab aerarii administro oblata de augendis vectigalibus, et rationes acceptorum et expensarum in disputationem adductae.

In **Germania** de interpretatione legum circa consociationes et publicos conventus acriter disceptatum.

In **Hungaria** legi de re militari « obstructionismus », quem dicunt, vehementer oppositus.

In **Russia** de ferriviis a gubernio redimendis agitatum.

In **Suetia** novum administratorum collegium electum, praeside Staaf e « liberalium » factione, qui publicum legatorum coetum dimisit novaque comitia indixit.

PER ORBEM

Die I mens. Octobris MCMXI ob oppositam fluctibus molem improviso dirutam, Austin, urbs Civitatum foederatarum Americae Septentrionalis, aquis demergitur ita ut ex trecentis et ultra dominibus, quibus ipsa constabat, vix decem superfuerint. Octingentae quinquaginta humanae victimae lugentur.

— d. II in republica, cui a S. Marino nomen, solemini ritu transmissio potestatis fit in novos consules Angelum Manzoni Borghesi, Comitem, et Honuphrium Fattori.

— d. III Neo-Eboraci obit Schlay ille classis praefectus, qui, in navali pugna ad Sancti Iacobi, Hispanorum classem fudit.

— d. IV Helsingfors in urbe Supremae Finlandiae Curiae praeses fanatici cuiusdam iuvenis nefaria manu petitur.

— d. VI similia, quamquam, Deo adiuvante, infeli exitu, contra Austrorum administratorum collegium omne, in publico coetu legibus ferendis congregatum, Vindobona nunciantur.

— d. VII Rhemis, Beaumont, celebris ille aviator « Europae heros » cum velivolo suo in terram praecepit cruraque fracta reportat.

— d. IX Harmischies, in ferriviae statione apud Montes, curruum series e limitibus exit magna cum viatorum iactura.

Lutetiae Parisiorum cursum vitae absolvit Athanasius de Charette, qui pro Petri sede diu strenueque primum pugnavit, deinde contra Germanos pro patria sua magnam sibi famam comparavit.

— d. X Londini reperta nunciantur antiquissima aedificia, Romanae aetati attribuenda.

— d. XI Portsmouth in portu experimenta fiunt ad subaqueos lintres per « undas Herzianas » dirigendos.

— d. XII in Sinis cives evertendarum rerum cupidi seditiones agitant urbibusque Nu-Chang et Ham-Yeng, regalibus administris in fugam versis, per vim potiuntur.

— d. XIV bellica navis, cui a *Leonardo da Vinci* nomen impositum, et, sequenti die, altera Italorum bellica navis a *Galileo Galilei* nuncupata Genuae in mare immittuntur.

— d. XV Helvetica gens primam civis sui aviationis victimam, Bernae in aërodromo, conqueritur: Smith iuvenem triginta et duos annos natum.

Ad Catanam in Sicilia vehementes terrae motus plurium oppidorum domus diruunt, quarum sub ruinis triginta mortui ac circiter sexaginta incolae vulnerati inveniuntur.

— d. XVIII turbo in provincia *Cheré* ad Pyrenaeos montes saevissime furit, eamque prope in lacum commutat.

— d. XIX Aquisgrani monumentum Friderico, Germanorum imperatori, sollemini ritu inauguratur. Gulielmus ipse, nunc Germanorum Caesar, orationem, patris virtutes commemorantem, dicit.

— d. XX Nobelium praemium de medica arte an. MCMXI Allvar Gullstrand, Upsalensis athenaei doctori, tributum nunciatur.

— d. XXI Vindobonae in imperiali domo Schwarzaeu, adstante Francisco Iosepho, Austrorum Hungarorumque Caesare, nuptiae Caroli Francisci Iosephi, Austrorum Magni Dicis, cum Zita e Bourbonica Parmensi gente, Principe foemina, celebrantur, quibus r. p. d. Caietanus Bisleti, Sacrae Domus Praepositus, a Summo Pontifice ad rem legatus, benedit.

— d. XXII incendium immane Stamboul vicum Byzantinae urbis longe lateque demolitur.

— d. XXIII atra procella in Britannico fretu sexaginta et ultra naves subvertit atque Doverensis portus operibus ingentia damna apportat.

— d. XXIX aëronauticum certamen a Mediolano ad Augustam Taurinorum, atque inde ad Mediolanum, Italis reservatum, fausto exitu expletur.

— d. XXX in Gallica urbe Meldis Bossuet illi oratori, « Meldensis Aquilae » iure meritoque cognomine distincto, monumentum, Gallicorum episcoporum pietate excitatum, sollemniter dicatur.

Maxima debetur puero reverentia: si quid Turpe paras, ne tu pueri contempseris annos, Sed peccatum obsistat tibi filius infans.

IUVEN., Satyr. XIV, 10.

A cl. v. Iacobo Tassetto, socio nostro et amico dulcissimo, significationem hanc accepimus, quam libenter edimus:

MUNDANUM SCIENTIAE SODALITIUM (COETUS LATINUS)

Infra scripti, latine se latinis iusti argumenti et decentis scripturae litteris sibi allatis, esse responsuros pollicebantur,

Societas, quum sola ex lingua constet, terram, genus, sexum, fanum neque civitatem respicit.

AFRICA.

Henricus BIGOT, Tunete in Lyceo Carnot professor, latini Globi in Instituto Carthaginensi praeses. — Tunis.

Carolus CONFORTOLA, medicus, litterarum rerumque antiquarum amator, Hadrumeti. — Sousse, Tunisie.

BUISSON, publicae infimi ordinis institutioni, Tunicensi universa civitate, praefectus. — Tunis.

AMERICA.

Fred. N. ARNOLD, Ir. chemicus, litteris latinis et Romanis antiquis amicus, 61 Ringold Street, Dayton, Ohio.

I. Mc. G. BAXTER, medicus quaestionum naturalium et linguarum studiosus, a valetudinis munere (*Public Health Service*) Chatham, New Brunswick, Canada.

Theo. T. CHAVE, sch. publ. praef. studia lat. et bibl. - domicilium in South Boise, Idaho.

Eduardus E. COLEBECK, latinarum graecarumque litterarum professor, cultus europaei, et tiberinae praesertim sequanaeque humanitatis amator, — Birmingham College, 921 Ella str., Birmingham, Alabama.

Ioannes Eduardus KENNY, professor, — 1235 Lincoln, Av. St-Paul, Minnesota.

Franciscus de PAULA HERRASTI, orator atque professor, — Juan Manuel 13, Mexico, D. F.

EUROPA.

Aristide BRENON, philosophiae et litterarum amator, quaestionum praesertim recentiorum scrutator. — 22, avenue de Wailly, Croissy (Seine-et-Oise).

Iosephus BROCCO, commentarii « Hellas » sponsor. — Venezia. S. Stefano, 3463. — Venetiis.

Victor HAUTEFEUILLE, commentarii l' « Exode » magister, virtutis cultura latinitatis amator. — 73, rue du Moulin-Vert, Paris, XIV.

Victor HERTEL, pastor Lutheranus, hymnis et lingua hebraica peritus. — Grossneundorf pr. Graefenthal, (Thur) in Germania.

Paulus IOIRE, medicus, societatis de Quaestionebus Psychicis et super Normam praeses. — 42, rue Gambetta, Lille.

Donaldus MACRAE, in linguis, in historia et rebus antiquis maxime Celtarum studiosus, — The Manse, Edderton, Ross-shire, Scotland.

Nic. Dion. MALYNIAK, parochus graeco-catholicus in Slivnica ad Krasiczyn, Galic. Austr. Disciplinae cultor universae, sed vetustatis praincipue memor et gentis sua.

Ioannes Maria MEUNIER, presbyter nevernensis, seminario praefectus, philologiae romanae existimator, nominum enodatione et enuntiatione peritus. — Corbiniaci in finibus Nevernensium. Corbigny (Nièvre).

A. MICHEL, professor, bibliothecarius in Nova Universitate, periodici « Pages Amies » rector. — Bruxellis Belgarum, 31, rue Regenveld, Bruxelles.

Iacobus TASSET, orbis romani amator et incola. — Turnodori, Tonnerre (Yonne).

Maria Ludovica TENNIÈRES, philosophiae et litterarum amatrix. — Cenomanis, 110, rue Kléber, Le Mans.

AENIGMATA

I.

(*Permutatio vocalium*)

O terram tetra tenebris caligine cingit;
I gelido hanc ipsam velamine contegit albo.

E, contra, vivos vigilat saevissima in armis.

U tibi, si frangas, oleum dabit optima et escam.

II.

Tota volat per aquas. Truncor si vertice, mellis
Dona dabo moriens: aëra possideo.

Bis me si minuis, tua quae sit, redde, voluntas!
Sed quum ter minuar, lector, abire voles.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

VINCENTII LANFRANCHI
DE ORATORIBUS ROMANIS
ACROASIS.

Aenigmata an. XIV, n. VIII proposita his respondent:

1) **Alauda;**

2) **Do-dona.**

Ea rite soluta miserunt:

Ant. Favazzini, Merato. — Ad. Kozlowski, Petricovia. — Alois. Cappelli, Senis. — F. Wawer, Marianopoli. — Lud. Goux, Bituricis. — Alex. Pintauro, Neapoli. — F. Arnori, Mediolano. — Barth. Ferraris, Augusta Taurinorum. — Alb. Catteau, Lugduno. — Fr. Guerra, Aletio. — Paulinus a S. Iosepho, Barcinone. — Petrus Tergestinus. — P. Prado, Venetis. — Lud. Dubois, Massilia. — F. X. M., Drepano. — Fr. Xav. Ghion, Ostuni. — Georg. Archambault, Québeco. — Alb. Perraud, Lutetia Parisiorum. — Eug. Dolmar, Neo Eboraco. — Alb. Kain, Dublino. — A. Bounin, Aurelianiano. — Iac. Menendez, Madrito.

Sortitus est praemium:

FRANCISCUS XAV. GHION,

ad quem missum est opus, cui titulus:

PLINII EPISTOLAE

(Edid. KIEL).

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina Societatis Editricis Romanae.

EUPLIUS

(12)

Actio dramatica a I. B. Francesia versibus senariis exarata.

III. CIVIS.

Virum vos certe quem necavit gladius
Occulte insidiis, perversis actibus,
Libros commissos tradidisse dicitis.

I. CIVIS.

Oh! si veniret denuo!

II. CIVIS.

Sed quomodo?

MAXIMUS.

Adhuc speratis?

II. CIVIS.

Nos et toto pectore!

MAXIMUS.

Sed ite, sultis, tertio ab urbe lapide,
Eumque pensilem videretis laqueo.

IV. CIVIS (*qui mox supervenit*).

Qui nugas narras, fabulas tu blateras.
Vidi mox Euplium!

MAXIMUS.

Quā mortuus venerit?

IV. CIVIS.

Quid? mortuus? Vivit, in foro praedicat!

MULTI.

Ipse?

MAXIMUS.

Nequaquam, occupuit!

IV. CIVIS.

Mendacium!

OMNES.

En ipse adparet!

MAXIMUS.

Magnum portentum. Quid est?

SCENA II.

S. EUPLIUS. (*cum multa hominum turba, alii alia dicentes*).

Quid audio? Suis quis auribus crederet?
Egon' fui traditor? Librorum proditor?
Quod nefas infandum! Mori me potius
Velim quam foedari tali flagitio!
Quis rerum potuit tot portenta tradere?
At tu, (1) nefande machinator scelerum,
Quando Dei fatum molestare desines?
Audire vos, viri, vos audire iubeo.
Adest nostris rebus fidelis Angelus,
Nos qui defendit cunctis ab insidiis.
Petentes a me stipem viri per viam
Fuerunt obvii, pleni fictionibus,
Qui me grassati sunt furentes gladio.
Deus me periculis ab illis sustulit.
Manus nam verberant, iactant inania,
Laborant oculis, proni humi decidunt,
Ut olim secus iam Damascum Paulus.

(1) Ad Maximum, qui nimio furore correptus hue illuc se confert omnesque obtortis oculis circumspicit, nesciens quid dicat quidve sit facturus.

Miser quid egī? Cur in me sic saeviunt?

Agunt quid postea viri nefarii?

Putant me occisum; serunt tunc fallacias,
Sacros me libros tradidisse iudici!

Vivo sed, fratres, libros nec ulli tradidi!

Sicut gerit mater filios tenerrima

Ego hos geram mecum libros fideliter,

In ulnis moriens tenebo laetior.

Sunt lumen ipsi mediis in tenebris,

Solent ut circum volitare principem,

Apes et flores degustare rapidae,

Circum portamus libros nos in pectore;

Ab ipsis flores vitae, vitamque ducite.

Ut saepe cernimus sidera in pelago,

Silent in caelis cum procellae furiunt,

Docebunt semper nos divinae litterae,

Modo si legemus illas humiliter.

SCENA III.

VOLUSIUS (*qui festinus prosilit in scenam*).

Quid est? Quid video? Mendax ergo nuncius
Qui te cessisse dixerat fato tuo?

EUPLIUS.

Vivo, Volusi, victurusque in posterum!

OMNES.

Deo sint actae gratiae quam maxime!

Honor sit Christo, fecit qui te liberum!

Honor sit Christo!

CALVISIANUS.

Quid meis in aedibus?

Quomodo?

EUPLIUS.

Furcifer! Christus omnipotens

Tuis me perversis liberavit artibus.

CALVISIANUS.

Tua de morte vox...

EUPLIUS.

Arte diffunditur.

VOLUSIUS.

Falso librosque tradidisse iudici?

EUPLIUS.

Miles mori fortis in armis inhiat,
Pati pro patria; Christi discipulus
Paratus mori quam tradere!

VOCES EXTERNAE.

In perfidum ruat vindicta Numinis!

VOCES INTERIORES.

Deus protector adsit!

ALIAE VOCES.

Nobis indulgeat!

MAXIMUS (*irruens*).

Vel vitam dedat, vel libros Euplius!

Sin' libros cedit, cedat ad supplicium!

(*Ad proximum numerum*).